

8.39.5

*Idem AA. et CC. Aquilinae.*

Dolo vel metu adhibito actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit, per doli tamen vel metus exceptionem, submoveri petitio debet.

*S. XIII k. Oct. AA. cons.*

[a. 293]

8.39.6

*Idem. AA. et CC. Septimio et Eustolio.*

Si avia vestra sibi et Eustolio, quam mutuam dederat pecuniam, dari fuit stipulata, nihil ei, cuius subiecta iuri non fuerit, quaerere potuit. Sane, si ipse, quod ei solvi placuerat in stipulatione suo nomine deduxit, obligationem in eius etiam personam constituisse non ambigitur.

*S. V k. Oct. CC. cons.*

[a. 294]